

## 18th Sunday after Pentecost – Matt 9:1-8

*In illo tempore: Ascéndens Jesus in navículam,  
transfretávit, et venit in civitátem suam. Et ecce  
offerébant ei paralýticum jacéntem in lecto. Et  
videns Jesus fidem illorum, dixit paralýtico:  
Confide, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et ecce  
quidam de scribis dixerunt intra se: Hic  
blasphémat. Et cum vidisset Jesus cogitáções  
eórum, dixit: Ut quid cogitátis mala in córdibus  
vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittúntur tibi*

peccáta tua: an dicere: Surge, et ámbula? Ut

autem sciátis, quia Fílius hóminis habet

potestátem in terra dimitténdi peccáta, tunc ait

paralýtico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in

domum tuam. Et surréxit et ábiit in domum suam.

Vidéntes autem turbæ timuérunt et glorificavérunt

Deum, qui dedit potestátem talem homínibus.